

neretur restituere Ecclesiæ, si inde damnum traheret; sed hoc plane quid novi esset, et adversatur praxi omnium.

R. C. illat. *per se loquendo*; eo quod violet justitiā commutativam erga Ecclesiam juxta dicta superius: at cum ea restitutio esset plena perplexitatibus, eaque obligatio deterret multos a suscipiendo præfecturis, etc. Ecclesia collatores et patronos ad eam obligationem non intendit adstringere; cum illam nullibi urgeat, neque unquam reperiatur restitutionem exegisse.

Ad Conf. quoad 1. R. Disparitas est, quod oeconomicus distribuendo pauperibus satisfaciat intentioni domini, qui voluit præcise dari pauperibus; at collator præficiendo minus dignos, neglectis dignioribus, non satisfaciat sic menti Ecclesiæ; tum quia hæc declarat, quod velit conferri dignioribus; tum quia beneficia non principaliter in ministrorum bonum, ut eleemosynæ in bonum pauperum, sed Ecclesiæ ordinata sunt. *Quoad 2.* Si missio procurandi incrementi domino damnosa sit, indubie non contra fidelitatem solam, sed et justitiam: si damnosa non sit, neque dominus quoad hoc declarat mentem; jam hoc ipso est disparitas 1°. quia prætermissio dignorum est nociva Ecclesiæ ex dictis; 2°. quia quoad hos præferendos mentem suam expressit Ecclesia.

Ad 4^{um}. R. N. illat. Quia non competitorum, sed solius collatoris est de illorum idoneitate ferre judicium. Igitur si te idoneum credas, potes te offerre collatori ea conditione, ut, si tē æque dignum judicaverit, tibi beneficium conferat; eoque obtento judicare, fe vel digniorem, vel æque dignum fuisse habitum, atque ita quiescere.

Ad 5^{um}. R. N. A. per se loquendo. Etsi enim resignans, vel permutans non teneatur ex officio Ecclesiæ ministros præficere; tenetur tamen non concurrens ad iniquam collationem, juxta TRID. in Concl. At resignans, vel permutans in favorem minus digni, cum dignior adsit, ad iniquam collationem concurreret. Nihil tamen offendet resignans, si cedat beneficium suum æque digno, quam ipse sit, quia supponere potest beneficium sibi collatum fuisse seu digniori, aut æque digno, ac fuerant alii. Pariter habens simplex beneficium si cum alio etiam habente beneficium simplex permuteat, aut si habens curatum cum habente etiam curatum; poterit permutare cum minus digno; cum enim hic beneficium ejusdem speciei teneat, non refert, sive hoc, sive aliud habeat; nisi forsitan circumstantiae Ecclesiæ digniorem exigerent.

ARTICULUS II.

DE DISTRIBUTIONE OFFICIORUM CIVILUM.

621. *Dico 1.* Officia civilia debent conferri dignis, adeo ut peccato mortali se obstringant, qui indignos ad ea provehant, teneanturque ad compensanda damna inde in Rempublicam profecta. Est communis Doctorum.

Ratio est: quod officia illa principaliter ordinata sint in commune Reipublicæ bonum, ergo tenentur magistratus politici ea conferre, non nisi idoneis; quia tenentur ex contractu saltem tacito, ipsa aditione magistratus, vel principatus cum Republica inito, hujus procurare bonum, averttere mala; nemo vero nescit, quanta inde mala redundant in Rempublicam si hujus officia

publica conferantur indignis. Par est ratio de provinciarum præfectis, qui, ut harum procurent bonum, accipiunt stipendia: igitur, perinde ac oeconomicus tenetur ex officio famulos, aut operarios conducere idoneos, illi tenentur diligere officiales aptos. Estque hæc obligatio tam in provinciarum præsidibus, quam in magistratu summo, aut Principe, 1°. gravis, quia materia gravissima est; 2°. justitia strictæ, sive commutativæ, quia ad hoc se obligarunt contractu saltem tacito cum Republica, que se vicissim ita obligavit Principi ad pendenda tributa, ferenda onera, etc. Hinc et sequitur obligatio compensandi damna inde Reipublicæ enata, quod scienter promoverint indignos. Dixi scienter; si enim eos præfecerint, quia putabant dignos, cum ea ratione sint damni solum causa remota, Republica non videtur exigere, ut adeo stricta fiat restitutio.

622. *Dico 2.* Officia civilia etiam regulariter sunt conferenda dignioribus præ minus dignis. Ita passim Theologi cum Soro, de Lugo aliisque.

Constat Conclusio eadem fere ratione, qua Art. præc. *Concl. II.* Sicut enim Ecclesia habet jus exigendi, ut sibi meliori modo consulatur; sic et Republica: ac sicut ex officio tenentur Ecclesiæ præsides hujus procurare bonum meliori modo, damnaque avertere; ita magistratus Reipublicæ politæ, nec sati ab hac propulsabunt damage, si passim, neglectis aptioribus præficiantur minus apti; cum frequentes sint vicissitudines, in quibus minus dignus non est sufficiens. Adde: si passim promoverentur minus digni, perquam facile fiet, ut tandem promoveantur indigni. Nou tamen ob posthabitum digniorem est obligatio quid restituendi, sicut dictum Art. præc.

623. *Dices 1°.* Potest sperari, fore, ut is, qui non est modo aptus, fiat aptus ipso-usu, si promoveatur ad officium; ergo non erit peccatum ad officia publica promovere non idoneos.

R. N. Cons. Etsi enim subinde justis de causis, et quando nullum inde verendum Reipublicæ damnum, non idoneo conferri officium publicum possit, hoeque interim administrari per vicarium habilem, dum promotus fiat idoneus; id tamen passim fieri non debet, præsertim dubiis Reipublicæ temporibus, quæ auxilium præsens, virumque necessitatí præsenti parem exposcent.

Dices 2°. Munia publica non sunt bona communia, quæ civibus dari oporteat ut membris communitatís, cum citra injuriam conferri queant extraneis; ergo in horum distributione locum non habet justitia distributiva, nec proinde acceptio personarum; sieque nec peccatum erit, minus dignum præferre digniori.

R. T. A. N. Cons. Quia, etsi non sint ita bona communia, ut necessario distribui debeant inter solos ejusdem communitatís cives, ut patet in officiis militaribus, cathedris academiarum, quæ dignioribus, cujuscumque demum nationis sint, conferri solent; requiritur tamen, ut bona communitatís distribuantur juxta proportionem meritorum et dignitatis.

Dices 3°. Officia civilia vendi possunt; ita enim fit in Regnis quibusdam Franciæ, etc. ergo etiam conferri minus dignis præ dignioribus.

R. D. A. Vendи possunt absolute loquendo, et sub debitis conditionibus C.

his non servatis N. *Ant. et Cons.* Vendi absolute possunt; quia prærogativa et honor eminentiae præ concivibus, liberale stipendum, occasio lucrandi, etc. ejusmodi officiis adnexa, sunt aestimabilia pretio. At tamen, ut vendantur licite, sequentes, necesse est, conditiones adsint et serventur: prima est, auctoritas in vendente, ut in Republica, Principe; unde præfecti minores officia vendere nequeunt, nisi hoc ipsis fuerit permissum a Principe. Secunda, ut moderato vendantur pretio, ne arceantur minus valentes opibus, si sint digniores. Tertia, ut vendantur, quantum fieri potest, dignioribus; si enim crita acceptionem personarum, aliaque incomoda recensita superius conferri regulariter non possint, nisi dignioribus, multo minus vendi poterunt minus dignis.

Si dicas 4. Per Nov. 8. c. 2. et L. 1. ff. de J. et J. officia publica non sunt prætio aestimabilia. Item Pius V. in Bulla: *Etsi Romani* anno 1571. absolute hanc venditionem prohibuit.

R. Quoad leges civiles 1º. his non ligantur summi Principes; vel iis derogatum est.

R. 2º. D. Non sunt aestimabilia ratione justitiæ administrandæ præcise C. hanc enim per se ex officio debet Princeps subditis, sicut judex alius sententiam: ratione aliorum commodorum adjuncrorum, de quibus ante N.

Quoad Bullam PII V. R. Data fuit pro territorio Pontificio; nam constitutiones Pontificie circa materiam profanam, extra materiam peccati, non extenduntur extra territorium summi Pontificis. Imo et Romæ huic constitutioni PLANE consuetudine derogatum esse, ait KOENIG hic ex GOCKELIO, quo teste, non obstante Bulla PI, officium Vicecancellarii, Thesaurarii, Praesidis Camere venditum. Simile quid de his et aliis officiis asserit Cardinalis de LUCA in *Relat. Cur. Disc. 10. et Disc. 2. de Regalib.*

Si dicas 2. Ex hujusmodi venditionibus timenda sunt varia Reipublicæ mala; nam emptores, ut se indemnes servent, possent illicitum quæstum facere, variis artibus extorquendo a subditis pecunias, dum pretium suum recuperent.

R. Etiam similia facta attentata dicuntur ab iis, quibus officium venditum non fuit. Deinde pretium hoc extortum tenentur in conscientia restituere subditis. Demum ex hinc ad summum sequeretur, melius non vendi officia publica; non vero, venditionem ex natura sua peccaminosam esse.

CAPUT II.

DE JUSTITIA LEGALI ET VINDICATIVA.

624. Justitia legalis civem tanquam partem ad communitatem seu totum, nimirum hujus procurandum bonum coordinat. Hinc definitur: *Virtus moralis ordinans, vel inclinans partes communitatatis qua tales ad procurandum bonum suæ communitatatis huic qua tali debitum ex jure alto in bona privatrum.* Unde et in Principe datur, et subdito: in priore quidem, non ut refert

totius personam Reipublicæ sed ut rector est boni publici, et pars principalis, sive caput; ut tale enim ex jure alto æque curare tenetur commune bonum, quam cives reliqui; ac quia hoc Princeps facit imperando, in eo justitia legalis est *imperative*: in subditis non nisi *executive*. Jus vero illud, vi cuius pars quevis Reipublicæ huic suum tribuit, minus rigorosum est, ac passim dicitur generale, legale, altum: priore quidem modo, quia ad commune bonum, sicut leges, tum per leges ordinatur: *altum* vero; quia supereminet particularibus privatorum juribus, iisque derogare potest; Republica enim jus quoddam habet superioris ordinis in bona civium, eorumque jura, ut iisdem, urgentibus causis, ad felicitatem communem uti possit; quin pro necessitate etiam corpora periculo objicere. Ex hisce liquet, justitiam legalē obligare ad servandas leges, ferenda Reipublicæ onera, solvenda tributa, vectigalia; Principem vero ad eadem, servata proportione, imperanda, cum justa causa exegerit. Vindicativa justitia (quam quidam ad legalem reducunt) est *virtus ordinans eum, qui curam communitatatis habet, ad proportionatam punitionem delictorum. Plenius hæc patebunt ex sequentibus.*

ARTICULUS I.

AN ET QUANDO RECTE EXIGANTUR TRIBUTA, ALIAQUE COMMUNIA ONERA? QUÆQUE ILLA PRÆSTANDI OBLIGATIO?

625. *Proæmium.* Tributi nomen passim accipi pro omni eo solet, quod penditur Reipublicæ vel Principi a privatis. Specifice vero est pensio, quæ imponitur facultatibus, vel proventibus subditorum, ab his solvenda Reipublicæ vel Principi ad sustentandum competentem statum suum, oneraque Reipublicæ. Hinc differt a *vectigali*, quod est certa pensio solvenda pro rebus vel invehendis in urbem, aut provinciam; vel inde avehendis: etiam *portoriū* dici solet; cui affine est, quod rerum venditarum, permutterarum occasione datur. Differt a *pedagio*, vel *quidagio*, quod a transuentibus equo, curru, navi, etc. solvi solet pro pontium, viarum conservatione, securitate. Praeterea Jurisconsulti onera præstanda Principi dividunt in *realia*, quæ jumentis, plaustris, etc. fiunt; tum *personalia*, quæ a subditorum personis præstantur exhibendo servitia, comitando ad bellum, etc. ac *mixta*, quæ ex realibus, ac personalibus constant.

626. *Dico I.* Tributa, vectigalia, ac quæcumque exactiones ut juste imperantur, tres requiruntur conditions: auctoritas imperantis; causa justa; forma, sive debita proportio: quæ declarantur.

1º. *Auctoritas imperantis*, id est, summi Principes, vel magistratus, qui suprema cum potestate Reipublicæ præsunt; in hos enim s̄los populus immediate transtulit potestatem gubernandi, iisque se adstrinxit ad præbenda stipendia justa ad tuendam dignitatem ac Republicam. Si quid proinde præfecti subordinati, gubernatores, civitates subjectæ exigant a populo; vel hujus consensus liber, vel facultas Principis adesse debet: secus injuste fiet, ac restitutioni subjectum erit.

Ac quidem, quantum ad *vectigalia*, observandum est, per leges funda-